



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispytatio Nona. De Immutabilitate, & Æternitate Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

ex contradictoriis, ut dixi, ab aeterno sit necessesse est.

**VI.** Obijcies quartò: Deum esse intimè præsentem rei alicui supra cælum create, nihil aliud dicit, præter denominationem extrinsecam, à re illà creatà proveniente. Sed contrà, nisi Deus ante rei illius creationem, fuisset actu supra cælos, non posset sine intrinsecà mutatione, rei ibidem collocatæ reddi præsens, sicut nequit Angelus sine intrinsecà mutatione, eò se ex Cælo Empyreo transferre.

**VII.** Dices, Angelum non esse immensum, Deus autem est immensus; lata ergo hac in re est inter Deum & Angelum disparitas. Contrà: Si Deus per immensitatem non sit actu in infinitum ante rerum creationem diffusus, non magis potest sine mutatione, rei supra cælos creatæ, de novo reddi præsens, quàm potest Angelus; ideo enim id sine intrinsecà mutatione accidere nequit Angelo, quia non est in infinitum extensus, ac propterea, & locum successivè acquirere debet, & rebus aliis, per intrinsecum aliquid in se receptum, reddi præsens. Idem ergo continget Deo, & sola differentia est, quòd Deus necessariò intrinsecam huiusmodi mutationem in se recipere debeat, (cùm unicuique rei creatæ non possit non esse intimè præsens, ut Sectione primà ostensum est) Angelus autem mutationem hanc recipiat liberè; in ejus quippe potestate est novum illum locum occupare, vel non occupare; rei quæ illi se reddere, aut non reddere præsentem.

Est ergo Deus in spatiis imaginariis supra cælum Empyreum in infinitum diffusus: quòd nihil aliud est, quàm Deum per suam Immensitatem esse actu intimè penetratum cum negationibus illis ubique diffusis, de quibus numero tertio. Dicine autem necne debeat Deus iis coexistere, (quòd tamen præcipuè urgent Vasq. & Oviedo citati, alii quæ nonnulli ex recentioribus) quæstio potius est de modo loquendi, quàm de re: si enim per coexistere, intelligatur vera duorum existentia simul, ut plerumque sumi solet, hoc sensu non potest Deus propriè dici coexistere spatiis imaginariis; negationes siquidem, in quibus, ut dixi, ratio spatii imaginarii consistit, propriè non existunt, cùm non sint entia, sed non-entia. Unde propriè nec ipsis coexistere potest Deus, nec ipsæ Deo; eo tamen modo, quo existunt, Deus iis coexistit, & nihil apud Philosophos frequentius, quàm negationem Anti-Christi, & negationem alterius solis coexistere, & ab aeterno coexistisse; cùm enim res illæ positiva non fuerint ab aeterno, earum negationes, ut supra dixi, ab aeterno esse debebant; ergo & Deus iis ab aeterno coexistit.

Et per hæc satisfactum spero P. Francisco Veneno primà parte, Disp. 7. cap. 7. ubi hanc meam de spatii imaginarii constitutione sententiam, fusè & nervosè impugnat: quicum proinde, si in ejus librum ante hunc tommum absolutum incidissem, egissem pluribus, cùm quæ assert, fusiore responsione sint dignissima.

VIII.  
Videmus Deum  
spatiis ima-  
ginariis dici  
dubios coexi-  
stere, quæ-  
stio est de opo-  
mino.

Dua nega-  
tionis sibi  
modo coexi-  
stunt.

IX.

## DISPUTATIO NONA.

### De Immutabilitate & Aeternitate Dei.

#### SECTIO PRIMA.

#### Ostenditur, Deum esse Immutabilem.

**I.**  
Mutatio du-  
plex, physi-  
ca, & mo-  
ralis.

**M**UTABILITAS duplex est, physica, & moralis. Mutatio physica tunc contingit, quando aliquid à parte rei acquiritur, aut deperditur; ut cùm aer de non lucido fit lucidus, vel è contrà. Moralis verò mutatio in quadam animi inconstantia sita est, etiamsi nulla inde sequeretur mutatio physica.

Ut ab hoc postremo incipiam, dico primo: Mutatio moralis in Deum cadere non potest: manifestam siquidem arguit imperfectionem, & animi mobilitatem. Unde Deus, quòd semel vult, semper vult, ut fusè & optimè declarat Sanctus Augustinus libro duodecimo Confessionum, capite decimo-quinto. Nec in eo ulla est volitionum successio, multo minus mutatio. Hinc

**II.**  
In Deo repe-  
ritur nequit  
mutatio mo-  
ralis.

Numerorum 23. v. 19. dicitur, *Non est DEVS quasi homo, ut mentiarur; nec ut Filius hominis, ut mutetur.* Dixit ergo & non faciet? Locutus est, & non implebit? Item Proverb. 19. v. 21. *Multa cogitationes in corde viri: Voluntas autem Domini permanebit.* Quare, etsi hæc voluntatis variatio accidere posset sine omni mutatione physica, Deo tamen repugnaret; argueret namque inconsiderationem quandam, & prudentiæ, omnia priusquam statuatur, plenè perpendentis, defectum.

Dices: Genesis sexto ait Deus, *Pœnitent me fecisse hominem*: pœnitentia autem arguit mutationem & retractationem voluntatis, ergo. Sed ad hoc Respondetur cum S. Thomà hic, q. 19. a. 7. Corp. aliud esse, tmutare voluntatem, & aliud, velle aliquarum rerum mutationem. Quare, ad primum ait, hoc dictum metaphoricè esse intelligendum, ad similitudinem actionum humanarum: homines quippe, cùm eos alicujus pœnitent, id destrunt quòd antè fecerant: sic Deus mundum, quem antea condiderat, usque ad determinatum tempus persistere voluit integrum, post certam verò annorum seriem, increbescens malis, hominibusque

**III.**  
Deus res  
subinde mu-  
dat, non vo-  
luntatem.

*Deus, quod  
semel vult,  
semper vult.*

**IV.**  
*Deus nequit  
etiam mu-  
tari physice.*

**V.**  
*Immutabi-  
litas est per-  
fectio sim-  
pliciter sim-  
plex, Ergo  
Deo tri-  
buenda.*

**VI.**  
*Uterius de-  
claratur has  
Dei immu-  
tabilitas.*

**VII.**  
*Peculiares  
difficultates  
contra Dei  
Immutabi-  
litate.*

**VIII.**  
*Vni Deo co-  
uenit has  
Immutabi-  
litas.*

**IX.**  
*Mutatio ex-  
trinseca Deo  
non repugnat.*

**X.**  
*Quo sensu  
dicatur  
Deus deam-  
bulare, de-  
scendere, &c.*

**XI.**  
*Immutabi-  
litas confi-  
sit in posi-  
tuo.*

atrociora in dies scelera in Deum admittentibus, eundem submersit. Hinc tamen nulla sequitur in Deo voluntatis mutatio; ab aeterno enim voluit mundum edusque illasum persistere, & tunc destrucere, quod modò etiam, & semper, & in aeternum vult.

**IV.** Dico secundò: Deus etiam mutationem physicam, aliquid scilicet intrinsicè acquirendo aut amittendo, nullo modo patitur. Ita Theologi omnes cum S. Thomà, hic quæst. 9. art. 1. & in 1. d. 8. quæst. 3. art. 1. Hoc inprimis testantur sacrae Literæ: sic enim Malachia cap. 3. v. 6. dicit Deus, *Ego Dominus, & non mutor.* Et Jacobi c. 1. v. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis adumbratio.* Eademque veritas in Concilio Lateranensi. Cap. *Firmiter* de Summâ Trinit. definitur. Quod ex illo Exodi 3. *Ego sum qui sum*, clarissimè probat S. Augustinus l. 3. de Trinit. cap. secundo.

**V.** Ratio denique est primò: Immutabilitas siquidem perfectionem sonat, imò est perfectio simpliciter simplex, quæque melior sit ipsa quàm non ipsa in quolibet subjecto; Ergo in Deo est statuenda, utpote Ente entium omnium perfectissimo, quodque rerum omnium creaturarum in se perfectiones continet. Econtrà verò, mutabilitas imperfectionem arguit ac defectibilitatem: nam, ut rectè S. Bernardus, *Omnis mutatio est quædam mortis imitatio, & gradus ad interitum; à Deo proinde quàm longissimè ableganda.*

**VI.** Hæc verò Dei Immutabilitas sic ulterius declarari potest. Mutatio namque in tribus potissimum contingit, quoad locum, quoad durationem, & quoad accidens. Mutatio itaque, quoad locum, per Dei *Immensitatem*, quoad durationem, per *Aeternitatem*, quoad accidens denique per *Simplicitatem* excluditur, ut in superioribus est declaratum. Solum noto, non satis Immutabilitatem Dei quoad locum ab iis saluari, qui eum negant supra cælum per immensa spatia in infinitum actu diffundi, ut Disp. præcedente ostensum est.

**VII.** Peculiares difficultates contra Dei Immutabilitatem proponi solita, ut ex decretis Dei liberis, ex mysterio Incarnationis, &c. solvantur suis locis, ubi quo pacto hæc mutationem intrinsicam in Deo non arguant, fusius declarabitur.

**VIII.** Immutabilitas verò ista ita Deo propria est, ut nulli alteri communicari possit. Ratio est, nam quicquid creatur, capax est mutationis: sicut enim à Deo est productum, sic ab eodem potest destrui; ubi duæ, omniumque maximæ mutationes intercedunt, transitus scilicet à non esse ad esse, & è contrà. Deinde, nulla creatura est, quæ vel locali-ter moveri nequeat, vel formam aliquam substantialem aut accidentalem recipere. Videatur S. Thomas, hic quæst. 9. art. 2. ubi hanc veritatem fusè & optime declarat.

**IX.** Mutationes verò extrinsecæ, quales sunt denominationes Creatoris, Domini, cogniti, &c. Deo non repugnant: hæ enim Deum non afficiunt, sed ex creaturarum solummodò mutatione ei proveniunt.

**X.** Quando autem in divinis Literis de Deo quædam affirmantur, quæ præ se ferre videntur mutationem, ut Genesis 3. dicitur *Deus deambulare in Paradiso*, & cap. 11. *descendere ut videret civitatem*, & similia, vel intelligenda sunt metaphorice, ut cum Deus dicitur *volare, transire*, &c. vel sermo est de Angelo Deum representante, vel denique de corpore aliquo ad hoc assumpto.

**XI.** Quæri hic solet, sinè attributum Immutabilitatis in Deo positivum, an negativum. Qua in re, existimo esse illud positivum: dicit enim entitatem

excludentem essentialiter omnem mutationem. Explicatur quidem per negationem, sicut & aeternitas, quamvis etiam hæc sit positiva, entitas scilicet postulans essentialiter aeternum durare, & omni tempore imaginabili respondere. *Quare*, inquit S. Thomas hic, quæst. 10. art. 1. ad primum, *licet Aeternitas per negationem definiatur, negatio tamen non est de illius essentiâ: sicut etiam, inquit idem S. Doctor, punctum definitur per negationem, ut, Punctum est, cuius non est pars: quod ideo fit, ut ibidem ait, quòd hoc modo positiva illa facilius intelligantur.*

*Sicut &  
Aeternitas.*

## SECTIO SECUNDA.

### Discutiuntur quedam circa Dei Aeternitatem.

**AETERNITAS**, ut in Philosophia notavi Disp. 37. Phyl. sect. primâ, triplex est: à parte ante, à parte post, & ab utraque: ut si Deus Angelum ab aeterno creasset, eumque in aeternum conservare decrevisset. Interdum verò, Aeternitas sumitur pro longâ duratione; quo sensu, ut advertit S. Thomas hic, quæst. 10. art. 3. *Montes in Scripturâ dicuntur aeterni*, item *Poma collium aeternorum*, Deut. 33. v. 15. & similia.

**I.**  
*Aeternitas  
triplex acco-  
pitio.*

Aeternitas autem proprie dicta, est, *Interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*, ut eam definit Boëtius lib. 3. de Consolat. prosâ 2. quam definitionem cum S. Thomâ hic, quæst. 10. art. 1. amplectitur tota schola Theologorum. Dicitur *Interminabilis*, quòd principio careat & fine: *Interminabilis*, utpote nullas habens partes formales, aut successivam: *perfecta*, id est, necessaria, seu ita ut possessione illâ carere non possit. Quod Angelo, si ab aeterno crearetur, non competeret: aeternitatem enim non necessariò, sed gratis sibi haberet communicatam.

**II.**  
*Quid sit pro-  
prie dicta  
Aeternitas.*

Hæc ergo Aeternitas adeò Dei propria est, ut nulli rei creatæ communicari possit: sic enim 1. ad Tim. 6. v. 16. de Deo dicitur, *Qui solus habet immortalitatem.* Quare S. Fulgentius de Fide ad Petrum, cap. 6. *Firmissimè, inquit, tene, & nullatenus dubites, solum Deum verum, aeternum, & incommutabilem esse.* Ratio verò est, quam num. præcedente insinuavi: omnimoda enim Immutabilitas, solius Dei propria est; omnis quippe creatura, eo ipso quòd creatura sit, duplicem admittit successivam substantialem: primò enim de non esse transit ad esse; deinde in pristinum non esse redire potest, saltem de potentiâ absolutâ: Deus quippe, ut ad ejus productionem concursum liberè præbuit, ita potest subtrahere, eamque in nihilum denuò reducere.

**III.**  
*Aeternitas  
simpliciter  
soli Deo co-  
parat.*

Quod verò Deus sit aeternus, & fides, & ratio docet. Ecclesiastici enim 18. v. 1. de Deo dicitur, *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, & manet invictus Rex in aeternum.* Item Isaia 57. v. 15. *Excelsus & sublimis, habitans aeternitatem.* Et ad Romanos 16. v. 26. *Secundum præceptum aeterni Dei.* Eademque veritas traditur in Symbolo Athanasii, clarissimèque definitur in Concilio Lateranensi. Cap. *Firmiter*, de Summâ Trinit. & Fide Catholica. Communis etiam vox est sanctorum Patrum: unum proferam S. Gregorium, qui lib. 16. Moralium, cap. 21. ait, *Aeternitatem (Dei) nec initio incipi, nec fine terminari, sed esse unum, quod semper ESSE est.*

**IV.**  
*Dei Aeternitas aucto-  
ritate osten-  
ditur.*

Ratio

V. *Aternitas Dei probatur ex ejusdem immutabilitate.*  
 Ratio denique, quâ ad hoc ostendendum utuntur Patres, fusèque declarat S. Thomas, hic q. 10. art. 2. & lib. 1. contra Gentes, cap. 15. deducitur ex Dei Immutabilitate: quod enim est planè immutabile, idem semper sit necesse est, nullamque patitur vicissitudinem aut varietatem: unde quod semel est, semper est, suæque existentiae neque initium habere potest, nec finem, alioqui non esset immutabile.

VI. *Quo pacto Dei Aternitas sit tota simul.*  
 Ut autem hanc Dei Aternitatem magis in particulari declaremus: imprimis nulla in ea cernitur successio, sed est tota simul, nec prius habens, nec posterius, plus aut minus. Unde S. Augustinus in illa verba Psalmi 2. *Ego hodie genui te: In aternitate, inquit, nec prateritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed presens tantum.* Conceptus ergo formalis Aternitatis divinae in eo situs est, quod essentialiter determinetur ad coexistendum omni tempori, tum reali, tum imaginario, idque indivisibiliter semper, & per se totam praestat; tota enim toti tempori, & tota singulis ejus partibus coexistit: sicut anima toti corpori, & minima cuique illius particulæ tota praesens existit.

VII. *Qua ratione dicatur Deus fuisse heri, & cras futurus.*  
 Dices: Deus verè & propriè fuit heri, ac toto mense & anno praterito: item erit cras, & annis in sequentibus; sed Deus *fuit, est, & erit* per suam Aternitatem: Ergo Aternitas Dei successione in se aliquam habet & fluxum partium, cum non sit omnino idem, Deum fuisse heri, & cras futurum. Respondetur, Deum propriè fuisse heri, & cras futurum; id tamen nullam in Aternitate Dei arguit successione formalem; sed solum quod per indivisibilem Dei entitatem, ac virtualem illam determinationem, variis temporis partibus, horis, diebus, annis coexistat: eo autem ipso quod diversis hisce partibus temporis respondeat, diversam existentiam aut potius coexistentiam rationem sortitur.

VIII. *Differentia inter Deum & res creatas.*  
 In quo differt Deus à rebus creatis; hæ enim, cum non sint essentialiter determinatæ ad existendum, vel ad persistendum in esse, ubi illud acceperint, alio determinativo, duratione scilicet à se distinctâ indigent, per quam diversis temporis partibus coexistant. Addo, Deum non solum post mundum conditum, sed etiam ante Universi creationem, sicut diversis partibus spatii imaginarii per Immensitatem respondebat, ut Disp. præcedente, sect. quartâ probatum est, ita diversis partibus temporis imaginarii prius & prius in infinitum respondisse, negationibus scilicet durationum, in quibus tempus imaginarium consistere Disp. 37. Phys. sect. 2. ostendi.

IX. *Sine Dei Aternitas vocanda Duratio.*  
 Quæres primò: utrum hæc Aternitas Dei vocanda sit duratio? Aureolus in disp. 9. quæst. 2. art. 2. negat. Communis tamen Theologorum sententia affirmat cum S. Thomâ, hic quæst. 10. art. 2. Corpore, Existimo hic quæstionem esse posse de nomine: si enim per durationem intelligat quis fluxum quandam partium sibi invicem succedentium, certum est, Dei Aternitatem non esse durationem, cum sit tota simul, ut jam ostensum est, & non ex partibus compacta. Si autem per durationem intelligatur tantum permanentia

in essendo, Dei Aternitas est duratio: cum per eam Deus, & ab aeterno fuerit, & ad hoc usque tempus persisterit, atque in æternum sit permanens.

Quæres secundò: sitne hæc Aternitas major aut minor aliis durationibus. Resp. Si formaliter loquamur, nullam inter eas fieri posse comparationem, cum Aternitas Dei, ut vidimus, nullas habeat partes. Virtualiter tamen durationes omnes creatas infinite superat, cum tota ab aeterno fuerit, & in æternum sit perseveratura.

Dices; si Deus Angelum ab aeterno, ut potuit, produxisset, eumque statuisset similiter in æternum conservare, Angeli hujus duratio foret æqualis durationi, seu Aternitati divinae? Respondetur, extensive, & quoad latitudinem durationis præcisè, fore æqualem: at verò quoad perfectionem intensivam, Aternitas Dei infinitis gradibus hanc Angeli durationem excedit; tum quia necessaria, duratio autem Angeli est gratis ei à Deo communicata, indifferensque ut existat, vel non existat. Deinde, Aternitas Dei est indivisibilis, & tota simul; duratio verò Angeli ex variis partibus constat, quarum aliqua momentis singularis pereunt, & novæ earum loco emergunt. Item Dei duratio est increata, Angeli creata. Est denique simpliciter infinita, ipsaque Dei substantia; Angeli autem duratio est tenuis quidam modus, qui quæ à multis rebus corporeis, & materialibus in perfectione superatur.

Urgebis: nec Dei Aternitas est usquequaque necessaria; actus quippe liberi Dei potuissent non esse: sicut namque Deus decrevit mundum producere, potuisset decernere contrarium; sicut ergo hoc decretum est liberum, ita & illius aternitas; ergo actuum istorum aternitas, quoad hoc, non superat durationem illius Angeli. Respondetur nihilominus, cum actus liber Dei sit quoad totam entitatem simpliciter necessarius, nec potuerit non esse, duratio quoque ejus, seu aternitas, est eodem modo simpliciter necessaria. Addo, etiam quoad terminationem vel determinationem ad objectum extrinsecum (qua solâ ratione actus Dei liberi sunt indifferentes) eorum duratio infinite superat durationem Angeli ab aeterno creati: ipso facto namque quod voluntas divina sit ad objectum extrinsecum terminanda, petit essentialiter in hac terminatione carere principio & fine; Deus enim, si decernat, decernere debet ab aeterno, & hoc decretum petit similiter in æternum persistere; Angelus autem, etiam posito quod sit futurus, non necessariò est ab aeterno; si autem eum Deus liberè ab aeterno producat, potest nihilominus illum in tempore destruere, nec tenetur in æternum conservare, cum tamen decretum, si illud habeat, habere debeat ab aeterno, & in æternum retinere.

Fusè hic disputant aliqui de *Unitate & Bonitate* Dei: sed cum de his dictum sit suprâ, de *Unitate* Disp. 3. per totam, de *Bonitate* Disp. 7. sect. primâ, opus non est ut de his quidquam in præsentem addatur. Utrum autem creatura, sive successiva, sive permanens, existere possit ab aeterno (quam etiam quæstionem à nonnullis latè hic tractari video) dixi in Philosophia Disp. 39. per totam.

X. *Sine Aternitas major aut minor aliis durationibus.*

XI. *Angeli ab aeterno producti duratio, in quo differat à duratione divina.*

XII. *Qua aternitate durent actus liberi Dei.*

XIII. *Differentia inter Angelum creationem, & decretum illum creati, quoad durationem.*

XIII. *De Unitate, & Bonitate Dei dictum est suprâ.*